

LYCEI TORGAVIENSIS

INITIA
BREVITER EXPONIT

ET

AD ORATIONEM

QVA LYCEO TORGAVIENSI VALEDICET



D. XX. SEPT. A. C. ∞ 10 CCXXXII

AVDIENDAM

INVITAT

M. MICH. HEINR. REINHARDVS
SCHOLAE TORG. RECTOR.

TORGAVIAE

LITERIS PETERSELLIANIS.

Hist. Saxon.

H.

681,80

Hist. Sax. eccl. 737



Quod iis contingere solet, quibus dulce fuit, satis diu loco aliquo commorari, ut huius vel amœnitate vel amore inducti, tenacem eiusdem habeant memoriam, de illa disse- rant libenter, de illa audiant attente alios: idem etiam ac- cidit mihi, ex Lyceo discedenti Torgaviensi, quod adhuc, quæ divina fuit misericordia, non magis mei, quam me sui, unquam pœnituit. Cui Lyceo cum abs me ultimum dicendum esset vale, cumque ad me audiendum Patroni & Fautores literarum nostrarum rite essent invitandi: quid potius præfarer, quidve commentarer prius, quam quod ad illius scholæ historiam maxime pertinere videretur? Dabi- tur itaque, ut spero, mihi, Lycei Torgaviensis Reçtori, hæc venia, ut, ad Lycei huius tutores, amicos atque cives, ultima facturus verba, Lycei eiusdem, in præsentiarum, brevissimis verbis exponam initia, quæ constantissimi mei in illud amoris relinquam testimonium & quaecumque monumentum, quæque idem amor innocens atque iustissimus, si nonnullis hoc scripturæ genus leve neque lectione di- gnum videatur, facile excusabit. Sed ad ipsum illud, a nobis tan- topere dilectum, accedamus Lyceum, huiusque origines propius in- trospiciamus.

Quas quidem ex memoria reperentes ultima, invenimus, iam A. C. ∞ CCCLXXXVI, Guilielmum Coclitem, Marchionem Misniæ, donationem, ædi b. Virginis Torgaviensi factam, auctoritate sua, qua regionis huius princeps pollebat, *literis publicis confirmas- se a)* qua discipulis quatuor, ante crucifixi Servatoris effigiem coram altari

a) Darinnen 4. Schülern, die vor unsers Herrn Lichnam singen, ihr Lohn gesezet, und ein Korroglied halten sollen ewiglichen. Ex- tant literæ Guilielmi in Senatus amplissimi scriniis.

altari cantantibus, merces perpetua pro labore, vestisque, in choro templi usitata, erat destinata singulis. Quæ quidem quemadmodum trecentis sexaginta & duobus abhinc annis ludum literarium hic fuisse docent: ita, postea quoque eundem floruisse, declarat senatus nostri nobilissimi epistola b) qua beneficium, eiusdem ædis sacerdoti, ludi-magistro eiusdemque adiutoribus, vocem ad cantandum locantibus, ædituoque pro opera in missis, id est in s. cænæ administratione, præstita, pio testamento legatum, A. C. ∞ CCCCLII. approbavit. Sed qualis tandem scholæ Torgaviensis ea ætate fuit facies, quæ ratio? Eam sane haud obscure discimus ex religiosa & pingui donatione Brigittæ Sonnewaldia. c) Inde enim colligimus, A. C. ∞ CCCCLXXX.

A 2

quo

b) Literæ senatus, approbantes legatum, darinnen die Vergnügung des Capellans, Schulmeisters, und seiner Locaten, wie auch des Kirchners, so bey den Messen dienen, erwehnt werden, adhuc reperiuntur in ærarii sacri tabulis publicis.

c) Literas, quæ datæ sunt Torgaviæ Dom. Lætare 1480. donationis Sonnewaldianæ nobis servavit Mich. Boiemus, Rector olim Lycei nostri, in Chronico MSC. cap. XIV. quod primum in præcipua argumentorum capita, deinde in annales, distinxit, cuiusque diligentia posthac sæpius fruemur. Sic autem Sonnewaldia: Nachdem die tugendsame-und erbare Frau Brigitta Sonnewaldin, bey uns wohnende, ein neu Gestifftete . . . in unserer Pfarr, Kirchen fürgenommen hat, die Bezeiten von unserer lieben Frauen durch 6. Chorales täglich zu singen etc. Es hat ihr auch die Stiffterin die Macht behalten, solche Chorales, sie sind Schüler oder nicht, die ihr eben sind, dieweil sie lebet, aufzunehmen, zu setzen und zu entsetzen . . . Es soll auch nach dem Tode der Stiffterin, und nicht ehe, der Rath zu Torgau die Macht haben, die Chorales zu setzen und zu entsetzen, und das in keine Weise verändern, noch an den Schulmeister gelangen lassen; und, wenn er, die tüchtig sind, aufgenommen hat, so sollen sie hinfür der Schüler seyn . . . Der Schulmeister soll auch die Chorales alle Almosen, gemeine und sonderliche, davon sich andere Schüler nehren und enthalten, genieffen lassen, und sonderlich auf der Schulen vor andern Herberge gönnen.

quo perscripta fuit donatio, scholæ nostræ præfuisse ludimagistrum huiusque collegam, qui vocaretur Baccalaureus; horum discipulos, saltem nonnullos, vixisse ex eleemosynis tum publicis tum privatis, habuisse domicilium in ædibus scholæ publicis, & ad cantandum in templo mane & vesperi adhibitos esse quotidie: a discipulis ita distinctos fuisse chorales, ut Sonnewaldia primum iusserit ludimagistrum sibi adsciscere discipulos aptos, qui chorales esse possint, qui singularum hebdomadam diebus binis certas horas consumant cantando, albis vestibus templique chorum decentibus induti, quique literis incumbant horasque voce perditas reparent diligentia. Pro his operis quinque choralibus singulis floreni novem, sexto autem, qui fortasse reliquis præfuit, adhuc præterea floreni dimidium annuæ mercedis loco, sicut ludimagistro pro pensorum, cantionum causa omissorum, repetitione floreni quatuor a Sonnewaldia legantur inter alia, quæ quatuor sacerdotibus in b. Mariæ æde pro missis legendis sunt attributa. In qua donatione Sonnewaldiana illud mirum est, quod a discipulis scholæ discernantur chorales, qui hodie more consueto vocantur & sunt discipuli, chorum constituentes musicum. Quales chorales cum Sonnewaldia ætate nondum fuerint, sed ab eadem primum iubentur esse discipuli: in eam venio opinionem, ut chorales ab illa dictos esse existimem, qui cantionibus in templi cho-

ro

nen. Er soll auch oder sein Baccalaureus darzu verbunden seyn, daß er mit den Choralibus alle Werkeltage unter der Schüler Messe und Vesper zwo Resumption oder Lektion stattlich halte, auf daß sie die Zeit, unter den Gezeiten versäumet, an der Lernung wieder einbringen möchten, und welcher nicht lernen will, der soll nicht Choralis seyn; darum soll der Schulmeister jährlich vom Gestifft vier Gulden an Gelde bekommen zc. auch soll man den 5. Choralibus jeglichen jährlichen 9. fl. am Gelde, und dem sechsten, der da anhebt 9 $\frac{1}{2}$. fl. am Gelde, zum Lohne geben zc. Nec offendet quempiam ludimagistri nomen, qui hodie Rector Scholæ dicitur, si considerabit, hoc nominis doctorum præcipuorum tunc fuisse proprium, ut academici quoque eodem compellarentur, atque e. c. qui hodie Professor eloquentiæ, in antiquis legibus Schulmeister der Beredsamkeit diceretur.

ro infervirent, a quo nomen etiam acceperint. Sed hac ætate miseram & deplorandam scholarum conditionem disce a Torgaviensi. Canere mane, canere vesperi, canere carmina Latina, neque cantoribus neque auditoribus intellecta, canere ante hoc ante illud altare, nam una Torgavia numerat in episcopatus Misnensis matricula, quam possideo, XXVI. altaria, canere modo in huius modo in illius sancte defuncti hominis memoriam, hic labor, hæc fuit doctorum in scholis opera præcipua. d) Tantum abfuit, ut scholæ bonarum literarum essent officinæ & sedes, ut potius superstitionis pontificiæ iure suo nominares adminicula & instrumenta, quæ propter cantus continuos bonas bonis iuvenum mentibus præriperent horas, Musis, alias iam pridem exulantibus ex Germania, rectius tribuendas. Cave enim existimes, meliori loco fuisse conditionem septem discipulorum, in arcis nostræ æde sacra eiusdemque choro, ex Principis Saxonie Electoris Friederici Sapientis voluntate, pro viginti florenorum mercede annua cantantium. Cum enim optimus princeps A. C. ∞ CCCC LXXXIII. in Palæstinam, ad Servatoris nostri sepulcrum videndum, superstitione temporum suorum abreptus, peregrinari secum constituisset, vix tutius ingredi facereve se posse iter illud longinquum, vix securius feliciusve mori iudicavit, quam si discipuli scholæ cantionibus quotidianis pro se peregrinante apud Deum maximum deprecarentur, aut pro se mortuo divinam misericordiam implorarent. Quamvis enim, quod iusserat princeps, in huius arce habitare, honorificum & præclarum discipulis illis, habere ligna ad ignem alendum, percommodum, viginti vero floreni magna operæ

A 3

merces

d) De eodem immani cantandi studio docet Boiemus ad an. 1594. p. m. 126. discipulos cantantes cum sacerdotibus, hostiam consecratam ferentibus, processisse ad fundamenta novi pontis iacienda. Sic extant literæ, Ioannis de Schleinitz, episcopi Misnensis, quibus 1514. iubet pompam ad sacrum sepulcrum in æde Mariana instituere, in qua sacerdos præcipuus ferat hostiam, sacerdotes vero & scholares incedant, portantes manibus luminaria & cantantes: ecce! quomodo moritur iustus &c. Quibus, aliisque similibus exemplis satis apparet, cantionum usu iuventutem maxime superstitione matura fuisse imbutam.

merces videri posset eo tempore, quo, quod in Seckendorffii Lutheranismo me legere memini, Heinsius quidam, Theologiae doctor publicus & idem Vitebergensis ecclesiae pastor a Friderico eodem petiit, ut, si omnino propter senectutem alterutrum munus publicum deponendum esset, sibi Theologi officium academicum saltem relinquere-
 tur, quod commodius se sustentaret, haberetque XX. florenos annuorum reddituum: quamvis, inquam, haec omnia pulcra & principali liberalitate digna haberentur: tamen omnino miseras illas reputo cantantes Musas, quae modo quotidie totas consumere horas in Sanctae Mariae honorem praeter duas missas, modo singulis diebus solis vigiliis agere voce sua sunt iussae. e) Sed quis non miretur, qui beneficia, & a Guilielmo Marchione & senatu nostro confirmata, & a Sonnewaldia & Friederico Sapiente legata discipulis nostris, consideret, horum septendecim & plures, ut ea, quorum nos effugit memoria, taceam, a superstitione pontificia potuisse ali constanter & liberaliter, cum nullis fere hic succurrat Lutheranorum sanctissima religio? Usque adeo promptiores sunt homines ad bene faciendum malis, quam bonis, imo potius ad male agendum, quam ad opus innocens & sanctum. Ut
 cunque

e) Vide literas principis in Boiemi Annalibus ad an. 1493. ubi d. 19. Mart. inter alia praecipit, daß die 7. Gezeiten unser lieben Frauen, 4. Priester in der Schloß, Capellen singen, jeder 30. Rheinische Gulden haben, zu Sorgau residiren, und eines guten Gerüchts, un-
 verdächtiges ordentliches Wesens und Lebens seyn solten, darzu sieben Chorschüler und ein Organist, unter denen soll einer Custos seyn der Kirchen, und jeglicher für Kost und Lohn 20. Rheinische fl. bekommen, und soll Priestern, Chorschülern und Organisten, eine bequeme Stuben und etliche Cammern im Schloß und mit Holz zum Feuerwerck versehen werden. it. die 4. Priester und Chorschüler sollen alle Tage horas b. Virginis und 2. Messen, eine frühe um 6. Uhr von unsrer lieben Frauen, und die Hohe oder Tages Messen von der Zeit, auch alle Sonntage zur Nacht Vigilien und eine neue Lektion, und des Montags eine Seelmesse singen, und unter der Seelmessen vor J. Churf. Gnaden und Mit. Wall-
 Brüder bitten. Da aber J. Churf. Gnaden stürben, solten derselben Gedächtniß ewiglichen also gehalten werden.

cunque autem hæc sint, hac Sonnewaldia, hac Friederici Principis liberalitate incredibile excitatum fuisse opinor magistratum nostrum, in primis, cum, domicili scholastici angustia coactum, in arce sua discipulis suis habitationem concessisse Dominum animadverteret, ut eodem statim anno, quo Friedericus suum instituerat beneficium, scholæ suæ de commodiore prospiceret loco. Hoc sane demonstrant tabulæ publicæ. Has enim si audimus, primum quidem Senatus hoc tempore facultatem ædificii scholastici extruendi a Principe & petit &, quod petiit, obtinet, cum Schmidelinus, Canonicus Fribergensis, artiumque magister scholæ præset. f) Ipsum vero ædificium per Ioannem Leicherum, ædilem suum ædificat & perficit. g) Interea autem, donec ædificatio finiatur, doctores cum discipulis transire iubet in suam curiam, h) quæ, cum civitatem totam gubernaret, pueritiæ quoque civilis disciplinam admittere haud dedignabatur. Ex quo quidem temporario hospitio ludi nostri haud male colligo, eandem ipsius sedem, eundem locum antea quoque fuisse, qui post annum huius ædificationis satis diu fuit. Quare enim præceptoribus una cum discipulis migratione ista, istoque secessu tam honorifico, fuisset opus, nisi prioris scholasticæ sedis ædificatione, concursuque & tumultu ædificatorum fuissent impediti? Nolim tamen tacere, fuisse, qui prisca scholæ domum inter arcem principis & aream huius lignis destinatam, paulo ante locum, qui equis exercendis olim dicitur patuisse, inter piscatorum arcisque portas ibi quæret, i) ubi fundamenta ædificii ampli, oblongi eiusdemque quadrati, quod ipsam scholæ antiquissimam interpretatus est sedem, hodieque conspiciuntur. Saltem illud constat, ædificium illud scholasticum, quod A. C. ∞ CCCCLXXXIII. erectum dixi, stetisse eo loco, quo nunc hortus est, ad ædes Brüneckerianas pertinens, quæ

f) vid. Mathys Privilegien, Buch p. 227. b.

g) conf. Boiemus in Chron. MSC. cap. 15. & in Annal. ad an. 1493.

h) Idem in Chron. cap. 15.

i) D. Hofmann, Torgaviensium quondam Antistes in der Erzählung, was von Herzog Alberti Zeit an alhier von den Durchl. Bestirhern merckwürdig verrichtet worden. Quam narrationem præmisit orationi sacræ Domin. Iubilatæ habitæ & in lucem editæ 1672.

que e regione ædis est, b. Virgini Mariæ consecrata. Hæc est constans hominum nostrorum memoria. Hæc virorum, rerum talium peritissimorum, narratio consentiens. Sed hæc diligentius inquirent, qui Torgaviensia monumenta & loca solícite distinguere student. Redeamus ad scholam scholæque doctores. Hi cum antea essent omnino duo, unus ludimagister, alter Baccalaureus: Friedericus Sapiens in literis k) quibus, una cum fratre Ioanne, pro huius uxoris Sophiæ Megalopolitanæ, ante altare ædis Marianæ magnifice sepultæ, anima missas instituit celebrandas, mentionem facit præter discipulos & chorales, quos ab illis discernit, & ludimagistri & cantoris. Quid exinde facilius factu est, quam argumentari, cum ludimagister antehac cantionibus præesset, cantandi operam delatam esse novo collegæ, qui proprio nomine diceretur, quod esset, cantor, atque inter ludimagistrum & Baccalaureum, qui prius fuerant, interponeretur mediis? Equidem fateor, cantandi provinciam ad Baccalaureum transferri potuisse a ludimagistro, ut hic solis literis vacaret, neque opus haberet novo collega cantore. Verum enim vero ut priori sententiæ magis faveam, facile moveor, quod posterioribus etiam temporibus Baccalaurei nomen video obtinuisse, atque repente A. C. ∞ 10 XXVIII. quatuor reperio præceptores numerari, quorum numerus tamen sensim & paulatim tantum videtur crevisse. Hoc enim anno, autoritate Principis Electoris Ioannis Constantis, Mart. Lutherus una cum Iusto Iona & Sebastiano de Kotteritzsch, præfecto Bitterfeldensi, primum sacrorum rei que scholasticæ statum inquisivit penes Torgavienses, qui qualis fuerit eo tempore, liceat, amplioribus verbis commemorare. l) Doctores recensentur quatuor, unus ludimagister & tres Coadiuvantes id est, eius adiutores, qui fuere pædagogus, pædagogus idemque cantor, & Infimus. Hos audiunt discipuli CLXX, quatuor ordinibus distincti, qui, præterquam quod sacris artique cum scribendi tum cantandi vacent, in primo ordine audiunt Grammaticam Melanchthonis, & Terentium, Ciceronis Catonem & epistolas ad diversos, Virgilium, Colloquia Erasmi & vicibus alternis

k) Literæ d. 19. Jul. 1505. datæ extant in des Math's Privilegien Buche p. 135. b. seq.

l) Vid. Acta Visitationis a. 1529. in scriniis senatus.

alternis Mofellani Pædagogiam interpretantur. Alter ordo præter eandem Melanchthonis Grammaticam inhæret Donati rudimentis Grammaticæ Latinæ. Tertius ordo totus est in lectione & canone, nescio quo, itemque Melanchthonis enchiridio, sicut quartus literarum elementa, horumque compositionem discit. Hæc laborum scholasticorum pensa refero libenter, & horum similia referam postea, quoniam ex iis non solum doctorum diligentiam discipulorumve metiri solemus profectus, sed etiam licet iudicium ferre de temporum illorum moribus & consuetudine literarum præcepta tradendi. Illi sane præceptores, qui tunc docuerunt Torgaviensem pubem, adeo suam operam suaque instituta probaverunt Theologis illis duumviris & ministro principis, ad inquirendum ablegatis, ut cives serio cohortarentur ad scholæ talis beneficium recte collocandum. m) Quinam vero fuerint isti doctores, illud in re tam antiqua, operaque tam vili, qualis hominum scholasticorum vulgo reputatur, parum liquet. Etsi enim Schmidelino ludimagistro, quem supra dixi, Vadinus, aut ut alii volunt, Vadianus, qui deinde in academiam Vitebergensem concessisse fertur, sicut huic Georgius Löserus, creatus tandem urbis nostræ prætor, subiicitur, quem exceperit Benedictus Flemmingus, nescio quis: tamen hæc primorum Rectorum Torgaviensis scholæ nomina ne quidem nota essent, nisi eadem albo scholastico, quod manus prodit, inscripisset diligentissimus Mich. Boiemus idem, quem supra dixi, quemque supplevit & continuavit, quod itidem ex ma-

B

nus

m) Anbey ist verordnet worden, das Volck treulich und mit Ernst zu vermahren, daß sie die Kinder zur Schule schicken und halten wollen, nicht allein Deutsch sondern auch im Latein wohl zu lernen, mit Vermeldung, was nicht allein gemeiner Christenheit, sondern auch gemeiner Nutz in Städten und Lande mit Versäumlichkeit der Jugend und Mangel gelehrter Leute, grosses Schadens erwachsen, und den Eltern derowegen gegen Gott Beschwehrung und Last zu verwehren und antworten auf ihre Seele und Gewissen fallen. Wiederum aber zu was grossen Ehren und Nutzen sie ihre Kinder und sich selbst dadurch bringen mögen, mit Erziehung etlicher Exempel, dieweil fürnemlich alle gute Ordnung und Regiement geistliches und weltliches bestehen, und fließen aus guter Zucht der Jugend. vid. ibid. eadem Acta Visitationis anni 1529.

nus indicio colligo, Iacobus Reichmannus, qui infra nominandus erit, quique eodem loco adiungit, A. C. ∞ 10 XI. fuisse quendam Cotbusianum, & ad D. Sommeri vitam provocat. Cum enim hic Sommerus Lutheri ætate & insequentem tempore hic medicinam exercens & civitatis Physicus, quem dicunt, constitutus, quæ Torgaviæ notatu digna contigisse iudicaret, quasi in diarium aliquod, quod vitæ suæ aliquam contineret historiam, referre solitus esset: in idem centum annis post incidit Reichmannus, eiusque reliquias nonnullas de scholæ huius rectoribus nobis conservavit. In quibus etiam illud est, quod Sommerum ad eundem annum ∞ 10 XI. notasse scribit & tale est: Melchior Fendius, Suevus Horlingensis, Torgam ad rem literariam gubernandam ex academia Wittebergensi vocatur, qui scholæ Torgensi summa laude præfuit, ac iuventutem honestis moribus optime rexit, suis scholaribus grandiori ætate Grammaticam, Dialecticam, Matthæi Evangelium, Paulum Apostolum & Augustini Cantum proposuit. Hic postea in Academiam Wittebergensem reversus ac Professor Physices Doctorque ac Medicus factus. Nam ultra 40. annos ibi docuit, mortuus Wittebergæ d. 10. Nov. 1564. ætatis anno LXXVIII. Hæc ex Sommeri vita Reichmannus, qui tamen ne quidem expedit, quo loco ille Cotbusianus, aut is tam laudatus Fendius Rectorum seriei, a Boiemo recensitæ, sit interferendus, ut adeo in re tam obscura nihil audeam affirmare. Forte Fendium statim in Rectoris munere consecutus est Marcus Crodelius. De hoc enim post Fendium statim ex Sommero, quemadmodum Fendium Cotbusiano illi anno nominato successisse fere innuit, ita commentari idem pergit: 1532. ad Stifellium audiendum concurrunt quoque Torgenses ac Marcus Crodelius, Scholæ Torg. Ludimoderator, vir doctus, ac Hebræus haud contemnendus fuit. Huic Crodelio Vinariensi, incredibile dictu est quantum debeat Lyceum Torgaviense, ut omnino ampliori dignus sit commemoratione. Additus est scholæ nostræ Baccalaureus A. C. ∞ 10 XXVIII, cum antea *vasis argenteis principis custodiendis* præfectus esset, quod docet perscriptum senatus nostri decretum, in quo ad munus illud Baccalaurei a se petitum admittitur, ecclesiæ pastori & ludimagistro parere, & quotannis pro muneris delati continuatione senatum una cum ludimagistro iubetur implorare. n)

Vtrum

n) vid. Mathys Protocoll de a. 1529. f. 84. Donnerstags Octav. Corp.

Vtrum anno sequente iam fuerit Torgaviensium ludimagister, parum liquet, licet hoc anno Lycei nostri res haud parum firmata intelligatur fuisse utilissimo Ioannis Constantis, Electoris Principis Saxoniae, edicto & instituto, quo pauperibus pueris permisit, ut urbis plateas percurrentes & cantantes beneficorum civium benignitatem sollicitarent, quoniam, rei scholasticae statu inquisito, complures parentes anno priori conquesti essent de inopia, quae liberos a schola frequentanda prohiberet. o) Sed an chori musici nostri, an vero currentium, quos vocant, sodalium puerorum hic habeas initia, non expedio, li-

B 2

ce

Christi. Mary Erödel, unsers gnädigsten Herrn Silber-Knecht, hat den Dienst des weggezogenen Baccalaurei in Schrifften bey dem Rathe begehret, und heute dato folgend sein mündliche Werbung gethan, und, weil er seinem Anzeigen nach mit gnädiger Gunst und Berwilligung hochgemeltes U. S. H. abgeschrieben, das er zum Ueberfluß dem Rathe Kundschafft bringen solle, so ist ihm solcher Dienst auf ein Jahr zugesaget, sintemahls er denselben mit göttlicher Hülffe getrauet der Jugend zu Nuß auszurichten, soll seinen müglichen und besten Fleiß bey denen Knaben, arm und reich, einheimischen und fremden thun, dem Pfarr und Schulmeister folgen, und gehorsam seyn, hat er Mangel an Dienst oder sonsten, oder ob er sich anderstwohin begeben wolle, das soll er dem Rathe ein viertel Jahr zuvor ansagen, desgleichen was ein Rath Mangels an ihm habe, oder ob ihn ein Rath nicht länger leiden wolle, will ein Rath ihm ein viertel Jahr zuvor Ausgangs des Jahrs auch ansagen. Sein Besoldung soll seyn nach Ordnung U. S. H. Visitatorn, welcher der Rath nachkommen solle. Solcher Dienst ist ihm zugesagt mit Wissen und Beyseyn des Herrn Pfarrers und Schulmeisters ut l.

Nota. Beyde dem Schulmeister und narwen Baccalaureo, ist angesaget, daß ein jeder Ausgang des Jahrs vor den narwen Rath um seinen Dienst werben solle, damit man jeglichen Nothdurfft fürzuhalten habe, Sie auch dargegen ihre Gebrechen anzeigen können.

o) literæ principis datæ sunt Torgaviae 1530. Sonntag nach unsrer lieben Frauen Tag purificat. Vid. Boiemi Annales MSC. ad an. 1530. p. m. 144.

cet verosimilius sit, ab horum societate musicorum collegium eo tem-
 pore nondum fuisse secretum, uti parva sunt rerum initia. Illud
 sane insigne est, quod discipuli nostri, autoritate principis muniti, in
 plateis cantent. Id vero constat A. C. ∞ 10XXXII. Crödelium
 scholæ iam præfuisse. Quod enim Reichmannus refert de Stifelii
 amicitia, id ei contigit, scholæ Reçtori, idemque testatur Michaël Boie-
 mus. p) Notus est propter opiniones fanaticas Michaël Stiefelius.
 Is Annæburgi, in vicinia, magno conatu id tunc agebat, ut homini-
 bus persuaderet, diem mundi ultimum anno C. ∞ 10XXXIII. die
 Domini, qui Luciae diem sequeretur, hora VIII. capturum esse ini-
 tium, huius opinionis suæ rationem ex dicti sacri: VIDE b V n t, In
 q V e M t r a n s f I X e r V n t, literis Latinis, numerum indicantibus,
 perridicule repetens. Invenit tamen complures, qui sibi assentirentur.
 Hinc Annæburgenses rustici nullum opus facere, pecuniam,
 tanquam inutilem, consumere potando, ne quidem de cibo sibi pro-
 spicere necessario, magnumque confidenter expectare diem in æde
 sacra. Idem quoque faciunt magno numero Torgavienses, qui con-
 currunt Lochaviam, hoc enim nōminis tunc Annæburgo fuit, se ad-
 iungunt Stiefelianis & eadem securitate se præparant ad iudicii divini
 diem, ita ut supra quingentos ad sacram accederent cœnam. In
 quibus si cucurrit etiam Crödelius, si literas plures accepit a Stiefelio
 & Thoma Windischen, eius socio, hoc enim traditur, sane fuit credu-
 lus, & diei nimis cupidus, quem timent mali. Sed eius merita in-
 signia in hoc Lyceum, constantissimusque in religionem puriorem
 amor, quem multa documenta infra declarabunt, facile eum ab ini-
 quis suspicionibus liberabunt. Cum enim eius maxime doctrina,
 diligentia & docendi facultate schola nostra indies maiora caperet in-
 crementa: A. C. ∞ 10XXXIII, ii, qui ad eius statum explorandum
 denuo a Principe delegati erant, cognito rei scholasticæ statu multa
 salutariter decreverunt. In quibus hæc fuerunt, ut præceptores cœ-
 libes & discipuli nonnulli in ædibus habitarent scholasticis & ut prio-
 ribus quatuor præceptoribus adiiceretur quintus Cantor, qui cantan-
 di arti præcipue vacaret. Qui enim antehac istam exercuerat, ad li-
 terarum rudimenta docenda aptior, & propter discipulorum copiam
 necessarius iudicabatur. Cumque Franciscani sodalitiæ bibliotheca,
 illo

p) In Annal. ad a. 1533. p. m. 146-148.

illo disiecto, & dissipato, adhuc superesset, statutum est, ut senatus illam studiose tueretur & conservaret, libros vero legendi facultatem faceret iis, qui hic incumberent literis, utque ipsam supellectilem librariam quotannis optimis utilissimisque augetur libris, ad quos emendos ærarium publicum sumtus suppeditaret. q) Vsque adeo nihil prætermisit, quod ad rem scholasticam amplificandam ullo modo facere videretur. Hinc iuventutem comædiis habendis ad perorandi facultatem assuefecit. Hinc, cum Io. Waltherus ex cantore urbano factus esset aulicus, ita eius labores solícite inter collegas, Bartholomæum Album & Bartholomæum Martinum, partitus est, ut collega discedens parum desideraretur. r)

B 3

in

q) vide Acta Visitationis de anno 1534. in tabulario senatus. Der Rath soll auch Fleiß haben, daß die Lieberer und Bücher, im Parfüßer Kloster nicht zerrissen, sondern treulich wohl und also gehalten werden, daß die, so studiren und lesen wollen, darzu kommen mögen. Auch daß man dieselbe Lieberer von Jahr zu Jahr mit den besten und möglichsten Büchern mehre auf Darlegung des gemeinen Kastens.

r) Anno 1549. schrieb Mary Erödel Schulmeister samt seinen Mitgehülffen zu Torgau: Erbar, weiser, günstiger Herr Bürgermeister! Nach alter Ordnung und Gewohnheit, sind wir Gott Lob! mit unsern Schul-Knaben, mit einer Comædia Terentii, Adelphorum genant, gerüstet, dieselbige vor einen Erbarn, weisen Rath zu spielen auf der Princt-Stuben; bitten derhalben: Erb. und weiser, wollen uns die künfftige Woche einen Tag ernennen; Es sey Sonntag, Montag oder welcher und wie geliebt, und gelegen seyn will, darnach wir uns zu richten haben.

Weiter, weil ein Erbar Rath mit wichtigen und vielen Geschäften an das beladen: haben wir Schulverwandte uns unter einander des Cantors halben, daß seine stat mit Frucht und Lob verwaltet werde, selbst entschlossen: wie Ew. Weisen hiebey verlesen mögen.

Bartholomæus Albus Stimme legt ab, ist von den vorigen Cantor Joh. Walthern und etlichen Herrn des Raths für gut angesehen, daß zum löblichen Wohlstande und Erhaltung der Singerey Bartel Martins zum Anstimmen und Anheben des Gesangs in


in academiam discedentibus, de sumtibus necessariis prospiceretur. Eius sane potissimum consilio & suasu factum esse arbitror, cum iam A. C. ∞ 10XXVIII. quæsitores Principis binis Torgaviensibus, Pastori ecclesiæ & ludimagistro probatis, ad literarum studia Vitebergæ per triennium continuanda triginta florenos quotannis solvi iussissent; s) taleque beneficium A. C. ∞ 10XXXIII. uni ex Sonnewaldiaë consanguineis præ ceteris destinassent: t) ut & anno C. ∞ 10XXXVIII senatus quaternis iuvenibus viginti annorum, ad studia literarum aptis, XV. florenos annuos Vitebergæ per quatuor annos promitteret, & civitatis consul, Erasmus Köppius, septingentos & triginta florenos anno sequenti traderet senatui, ex quorum usuris tres discipuli, sive Torgavienses sive Schildavienses, iique pauperes & Theologi, & in Grammaticæ Latinæ & Rhetoricæ præceptis satis explorati, singuli 10. florenos Vitebergæ perciperent per quadriennium. u) Sane nescio, utrum Torgavienses prædicem tali doctore felices, an Crodelium feliciorum, qui magistratum tam beneficium tamque promptum ad rem scholasticam omni modo amplificandam nactus est. Illud manifestum est, cum & magistratus & præceptores ardentissimo in scholam nostram studio quasi inter se certarent: eam brevi tempore magnam nominis sui famam consecutam esse. Quo factum, ut, cum A. C. ∞ 10XXXII. Lutherus noster apud Ioannem Friedericum, Principem Saxoniae Electorem, pro schola Zwiccaviensi deprecaretur, hanc non efficacius commendari posse arbi-

der Kirche gebraucht werde, und sind beyde Albus und Martin willig dazu, auch mit Eintheilung der Lectionen und Stunden unter beyden.

- s) confer Acta Visitationis de anno 1529.
 t) vide alia Acta Visitationis anni 1534.
 u) vid. Boiemus in Chronico cap. XX. qui a Köppianis tribus & senatoriis beneficiis tribus solicite distinguit quatuor beneficia, ex Sonnewaldianæ donationis redditibus orta, singula XX. florenorum, ex quibus quatuor unum Sonnewaldiaë consanguineo debeatur. Itaque in eam venio opinionem, ut, quæ Principis quæsitores 1529. & 1534. constituerant beneficia, ex Sonnewaldianis redditibus data, sed postea, pretio imminuto, numero aucta esse existimem. Videatur idem Boiemus in Annal. ad an. 1544. & 1545.

arbitraretur, quam si, eam cum Torgaviensi schola comparans, utramque præstantia & pretiosa cimelia omnium, quas is teneret, terrarum nominaret. x) Imo idem Lutherus vulgo in familiaribus colloquiis Lyceum laudare solebat Torgense, & in iis numerare scholis, quæ cum academiis fere conferri possent. y) Quid igitur mirum, si Crodelius noster Luthero carus esset atque acceptus? Declarat id ipsa Lutheri manus, quæ, cum suam Supputationem annorum mundi, Vi-tebergæ apud Ge. Rhavium A. C. ∞ 10 XXXV. in lucem editam, nostro donaret, libelli exemplo donando hæc inscripsit: M. Marco Crodelo formatori pueritiæ Christianæ Torgens. suo fratri charissimo Mart. Luther D. D. z) Declarat idem Boiemus noster, licet Lutheri donum non vidisset, qui Marcum Crodelium vocat virum doctum, bonum Hebræum & D. Luthero amicissimum. a) Cum vero tot tamque illustria sint nominis Crodeliani monumenta: nescio, utrum commemoratione sit digna eiusdem Grammatica Latina, cuius exemplum beneficentia Reichmanniana in bibliotheca scholastica reperitur. Hoc vero prætermittendum non est, quod adhuc extat eius epitaphium in templi pariete, quod ad pauperum hospitium pertinet. Est autem elogium tale: Anno Dni 1549. die 29. Martii obiit perdoctus & pius
 Marcus

- x) Literas datas d. 1. Jan. vide in Seckendorffii Lutheranismi Germanico p. 2100. & sequ.
- y) Lutherus in Tisch-Reden fol. 516. So sind auch viel feiner Particular-Schulen, die sich wohl anlassen, als Zwickau, Torgau, Wittenberg, Gotha, Eisenach, Deventer ic. sind keine Particular-Schulen, schier gleich den Universitäten, die da wachsen und zunehmen, sind Früchte des Worts und Semlin der Kirchen. Wenn diese gefördert werden, so solt, ob Gott will, höflicher stehen.
- z) Libelli exemplum adhuc extat in Lycei nostri bibliotheca, huic a Iacobo Thomasio, celeberrimo Lipsiensium doctore, 1671. d. 14. Martii, quod inscriptio docet, dono datum.
- a) in Annal. Torg. ad an. 1549. quo nostri mortem indicat. Idem semper nostrum vocat Germanice Krüdel, & ad an. 1580. nominat Annam Mariam, Crodelii filiam, & M. Hieron. Schwineri, Diaconi Torg. uxorem, anno eodem mortuam.



Marcus Crodel, Rei literariæ Moderator, ac Torganæ Iuventutis Institututor, vivens in Christo, hic requiescit. b)

Hæc hæctenus de primis initiis Lycei Torgaviensis, quæ licet tale, quale nunc est, neque numero doctorum, neque domicilii loco neque legibus suis totaque ratione referant, tamen satis clara & splendida iure suo reputanda sunt. Equidem fateor, me totam Lycei nostri historiam, qualis abs me poterat expectari, animo complexam esse. Sed cum intelligam, neque spatii angustiam, quæ huius generis commentationes solet circumscribere, sufficere argumento toti, neque tempus, quod abitum urget maturandum, suppetere in præsentiarum plura scripturo: quæ in promptu sunt, & mediocri diligentia collecta, occasione proximæ & suavi Lycei nostri recordationi serventur. Subsistet itaque scriptio nostra, quæ Torgaviensis postrema erit, in Lycei nostri initiis, quæ ipsa tamen finem imponent operæ nostræ, quod felix fortunatumque sit, scholasticæ. Cras enim, quod divina approbet misericordia, ante meridiem, sacris publicis finitis, Lyceo dicere vale, Patronis, autem Collegis atque Amicis pro suo in nos studio & amore gratias agere, nobiscum constituimus. Ad quod institutum tam iustum tamque necessarium aditum nobis parabit oratio,

de Senatus nostri Amplissimi in Lyceum Torgaviense meritis

antea habenda. Cui ut benevolas aures præbeant, quotquot nostris adhuc faverunt studiis, hinc perofficose, hinc peramanter, oro rogoque. Dedi Torgaviæ A. S. R. ∞ I^o CCXXXII.

d. XIX. Septembris.

b) infra memoratum elogium conspiciuntur vestigia eius insignium plane obliteratorum, & in fine epitaphii imago, corporis Crodeliani partem superiorem in lapide referens.

